





PROGRAMMA,  
DE  
**SCORBUTO  
SEPTENTRIO-  
NALIUM.**

15

1726, 3.

QVO  
AD DISPUTATIONEM INAUGURALEM  
PRÆNOBILISSIMI & CLARISSIMI MEDICINÆ  
CANDIDATI

**JACOBI VALENTINI  
MOELLERI,**

DE  
**MEDENDI RATIONE,**  
PER  
**PRÆSIDIA DIÆTETICA,**

IN AUDITORIO MAJORI,

Die III. Septembr. An. MDCCXXVI. habendam.

SUO ET FACULTATIS MEDICÆ NOMINE

**MAGNIFICUM DN. RECTOREM,**  
ILLUSTRIS REGIMINIS DNOS. CONSILIARIOS, U-  
TRUMQUE SENATUM, UNIVERSOS & SINGULOS ACA-  
DEMIAE CIVES, AC LITERARUM FAUTORES,

officiose & perhumaniter invitat

**CHRISTOPHORUS MARTINUS  
BURCHARDUS,**

Medic. Doct. & P. P. O. & ad hunc Actum Decanus.

ROSTOCHII, typis Io. IAC. ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD. Typogr.



**Corbutum** Accolis Maris Balthici Endemium morbum esse, imo nonnunquam ut Epidemium considerari posse, dum longe lateque grassetur, plerique Medicorum perhibent; Causas autem rejiciunt in piscium ac carnum salutarum, aut fumo induratarum, usum, & exhalationes marinas, falsas, quæ inficiant Athmosphæram. Quamvis autem hic error condonandus facile sit Scriptoribus istis, qui in distitis ac meridionalibus Europæ plagis degunt, mirum tamen est, ipsos

oberrare chorda. Invaluit interim ita hæc opinio, ut vix morbus Chronicus occurrat, quin ad *scorbutum*, sive dispositionem sanguinis *acido salsum* referatur, & statim regimen dieteticum promiscue præscribatur, ut æger caveat ab omnibus, *acido aut salso conditis*, man müsse sich für Salz und Sauer hüten. Sciendum autem, verum Scorbutum, qui cum dentium ac gingivarum erosione, artuum contracturis, aut exulcerationibus, ossiumve carie conjunctus est, rarè avem esse in nostris, imo etiam vicinis Daniæ, Sveciæque, quas olim per-lustravi Regionibus. Nec existimandum, homines nunc plane aliam observare dietam, ut *Illustr. PECHLINUS* scribit: Novi enim, qui quotidie utuntur salitis, aut fumo induratis, sine ulla sanitatis labe: imo notissima profant exempla, qui tali victu utentes, ad octogesium, imo nonagesimum ætatis annum pervenere, sine scorbuticæ luis ulla suspitione.

Contra vero, in ultimo Danico-Suecico bello observavimus aliquando magnum Classiariorum numerum, intra quatuor hebdomadam spatium, postquam ex portu sani & incolumes solverant, tam misere scorbuto decumbentium, ut dentes & gingivæ arrosæ foetentem animam

mam etiam in distans disseminarent. Erat autem hæc lues in una tan-  
 tum Navi, reliquæ nihil mali perpetiebantur. Originem autem duxer-  
 at hic morbus ex esu carniû salutarum quidem, sed *putredine jam pe-  
 nitius corruptarum ac putidarum*: undò corrupto isto penu in mare abje-  
 cto, postquam militi melioribus alimentis prospectum, non ulterius  
 disseminatum malum, & ægroti brevi ad pristinam sanitatem rediere.  
 In ultima quoque oblivione Tonningensi, quam per biennium pertu-  
 lerant incolæ; aliquot centeni ex militibus tantopere à Scorbuto vexa-  
 bantur, ut integra maxillarum frustra, carie corrosa, cum infixis denti-  
 bus exciderent. Laboraverant autem obsessi potissimum *Salis & summa  
 carniû salutarum aut fumo induratarum penuria*. Ex quibus proinde  
 Exemplis constat, non falsum, aut fumo coctum, Scorbuti causam esse,  
 sed potius *putredinem actualem*, quæ vel cum cibis corpori communi-  
 catur, vel ob *Salis*, tanquam optimi condimenti defectum, in corpore  
 successively progeneratur, imprimis si animi curæ, & vita otiosa accesser-  
 rint. Sanguis enim liquor est ad corruptionem putredinosam admo-  
 dum pronus, & sponte in eam rueret, nisi Natura consuetis organis fe-  
 cretoriiis, quorum primaria sunt Hepar, Renes, Pulmo, Pori Cutanei, &  
 denique Alvus, depurationis officium continuo exerceret, & corpus ab  
 actuali putredine præservaret. Quemadmodum autem hæc Organa sus-  
 ficiunt, ut excrementitii, & ad putredinem vergentes humores, qui in  
 corpore generantur, è sanguine segregentur & educantur; Sic non satis  
 proportionata sunt, ut etiam putredini actuali, ab extra cum cibis ad-  
 venienti, prospiciant. Hinc subito plerumque scorbutum contrahunt,  
 qui putredine corruptis alimentis vescuntur. Verum & in aliis conse-  
 qui hoc malum potest, qui optimo victu utuntur, si ita vitam institu-  
 unt, ut Sanguinis motum & Actus Naturæ depuratorios reddant immi-  
 nutos; ut sunt omnes, qui vel sponte otium & corporis ignaviam præ-  
 ferunt Exercitationi, vel ob Officii rationem vitam sedentariam vivere  
 coguntur; imprimis si moeror & animi multiplices curæ superveniant,  
 plerumque ipsis materialibus causis graviores, & magis nocivæ. Non  
 tamen in hisce statim Scorbutus adest; sed præcedunt alii morbi, Hypo-  
 chondriacæ, spasmodicæ passiones, Febres Mesentericæ, dolores ac tu-  
 mores varii generis &c. qui tandem diuturnitate temporis vel confici-  
 unt ægrotos, vel in Scorbutum verum, quod tamen rarissime fit, præcipi-  
 unt; si nempe Medicus ad vitæ genus mox descriptum non attendit,  
 aut æger ob inopiam negligitur, vel monitis aurem præbere pertinaci-  
 ter detrectat. Non tamen existimandum, Scorbutum latentem, sive  
 dispositionem sanguinis acido falsam, esse prædictorum morborum cau-  
 sam. Si enim Salia ejusmodi corrosiva, quæ ossa & carnes exedendi

vi pollent, jam olim insuflens Sanguini e.g. Hypochondriaci, nulla ratio apparet, cur non statim istam exercuerint violentiam. Præterea non sequitur, quicquid corrosiva virtute pollet, esse falsum vel acidum: longe potentius enim putredo corpora animalium consumit. Putredinem autem manifestam spirant partes Scorbuticorum exulcerata, adeoque, sine necessitate, manifestam morbi causam negligunt, qui eam in acido ac falso, nulla ratione demonstrando, querere conantur. Accedit, quod acida ac falsa qualibet, ab ipsis rebus, quas corrodoendo consumunt, obtunduntur tandem, & quasi fatiantur, ut suam vim ulterius exercere nequeant e.g. ipsa Aqua Fortis, non in infinitum dissolvit Argentum, sed quando certam & proportionatam eius quantitatem cum effervescentia ac strepitu absorpsit, reliquum intactum in fundo relinquit. Corrosivum autem illud, quod Scorbuticorum carnes aut ossa exedit non sponte debilitatur, sed serpendo crescit, & maiorem successive virulentiam induit, adeoque apertum documentum præbet, non esse falsæ aut acidæ indolis, sed potius putredinosa natura: habet enim hoc sibi proprium putredo, ut non successive, dum corpora dissolvit, ac destruit, obtundatur, sed, quo magis se diffundit, eo efficacius potentiam suam exferat. Itaque non nisi Asylum ignorantia quarunt, qui in morbis quibuslibet diuturnis, quibus mederi nesciunt, ad scorbutum latentem, sive dispositionem sanguinis, acido falsam provocant. Scorbutus enim non adest, quamdiu nulla putredinis signa in ægrotis percipiuntur. Multo minus putandum, Seminium Scorbuti omnibus incolis harum terrarum naturaliter inesse, ita ut ad illud, in omnibus promiscue morbis, fit respiciendum: nam omnes, qui labore, excursionibus, aut corporis exercitiis Actus Naturæ Depuratorios promovent, & curas animi vitæ activæ & negotiosa dissipant, à putatio falsæ scorbutico sanguine vivunt immunes, & sanam vitam ad seram usque senectutem trahunt, licet quotidie salitis vescantur. Contra vero, qui otiosam sedentariam vitam vivunt, & animum ob arumnas despondent, variis generis, & pertinacibus morbis, imo sæpe ipso tandem Scorbuto, infestari solent, non hinc tantummodo, sed ubicunque terrarum degant, aut quibuscunque utantur alimentis. Hinc in Gallia non infrequentia esse Scorbuticorum exempla, multiplices observationes, quas in Nosocomiis Ao. 1699. instituerunt, abunde testantur (a) sic etiam in Misnia, Bohemia, Silesia, Moravia, imo & in Italia, Scorbutum occurrere, Autores commemorant. (b)

Nec

(a) Vid. l' Histoire de l' Academie Royale Ao. 1699. p. m. 168. seq.

(b) Vid. Semertum Lib. III. Part. V. §. 2. de Scorbuto, & Mollenbrock de Arthritide vaga Scorbutica.

Nec in Græcia quondam eum ignotum fuisse, ex Hippocrate haud diffi-  
culter cognoscitur. (c) Sed forte, inquis, rara esse in istis terris scorbutico-  
rum exempla? Ego vero etiam in hisce regionibus, & vicina Holsatia,  
æque rarum esse Scorbutum contendo, nixus constanti XXII. annorum ex-  
perientia. Multo minus unquam late se diffundit hæc lues, nisi forte  
ob inopiam & summam necessitatem homines coguntur alimentis, pu-  
tredine corruptis, miseram sustentare vitam, quemadmodum id in Ob-  
sitione Tonningensi, & Bellica-navi, supra jam monuimus. Sed ejusmo-  
di exempla etiam in meridionalibus terris non desunt, quoties ob rã-  
pinas, incendia, agrorum devastaciones, quæ communes bellorum calami-  
tates ac pedissequæ sunt, ad inopiam ac famem redacti homines, talia  
in usum vocare coguntur, à quibus Natura alias abhorret. Sic in Ara-  
bia Felici Exercitus Romanus, tempore Augusti, *Stomacace* ac *Scelerythe*  
corruptus est, ita ut Aelius Gallus, qui Copus præerat, expeditionem in-  
fectam relinquere coactus sit. (d) Est autem *Stomacace* & *Scelerythe* ni-  
hil aliud, quam *verus Scorbutus*, quemadmodum PLINIUS id explicat,  
qui de Exercitu Germanici scribit, quod iste expertus sit *Dentium Ca-  
sum*, & *compagem in genibus solationem*; *Stomacacen Medici vocant* & *Scelery-  
then*: (\*) Quamvis autem iste culpam rejiciat in fontem quandam Germa-  
niam, prope Rhenum, falsus tamen is est: Nam præterquam quod  
fons adeo nocivus ignotus omnibus sit, ipse Plinius fatetur, *post bienni-  
um* demum morbus istum ortum esse. Verum ex TACITO facile hoc  
ænigma solvitur, quippe qui commemorat, Germanicum cum exercitu  
per Amisiam fluvium in Oceanum navigasse; sed Classe dispersa, mi-  
lites in vada & insulas, quæ ibi frequentes adsunt, abjectos, partim fa-  
me periisse, partim corporibus equorum, ad littora appulsi, vitam mi-  
sere sustentasse. (\*\*). Nullum itaque dubium est, reliquas hujus exercitus  
ex miseria, & alimentis corruptis *Stomacacen* ac *Scelerythen*, sive *verum  
Scorbutum* contraxisse. Sic, qui diuturnis expeditionibus nauticis, vel  
bellicis, vel mercaturæ gratia in remotissimam Indiam susceptis, inter-  
sunt, plerumque Scorbuto affliguntur, non ob exhalationes salas ma-  
rinas, ut aliqui sibi imaginantur, nam salia ista non in altum elevan-  
tur, sed potius ob alimenta, diuturnitate temporis, & aëris sub æqua-  
tore immoderato calore, corrupta; quippe nec ipsæ aquæ dulces in do-  
lis asservari possunt quin putredinem & vermiculos contrahant. Quid  
mirum ergo, dispositionem sanguinis putredinosam consequi in istis,  
qui putredine corruptus quotidie vescuntur; nisi forte motu corporis  
& con-

)( 3

(c) De Internis Affectionibus S. 34. & 49.

(d) Strabo Lib. XV. Geogr. apb.

(\*) Nat. Hist. Lib. XXV. Cap. 3.

(\*\*) Annal. Lib. III.

& concatenato labore actus Naturæ depuratorios augeant, & accelerent, ut, quod corruptum sanguini innatat, per emunctoria consueta rursum excludatur. Hinc ipsi nautæ, qui duram & laboriosam vitam gerunt, plerumque saniores degunt, & diutius resistunt ingruenti malo; citius autem affliguntur milites Classiarum, quoniam plerumque integros dies somno & quiete transigunt, aut certe sub navium tabulatis otiose degere coguntur, ne nautarum turbent officia.

Sed hæc sufficiant, ut appareat 1.) Verum Scorbutum non esse nobis considerandum, tanquam malum Endemium, sed hanc fabulam, ut ex præjudicio enata, sic per ignorantiam (e) & traditionem propagari. 2.) Scorbutum non ex acidis salitis &c. originem ducere. Nec 3.) consistere in dispositione humorum salsa vel acida, sed ad coagulationem putredinosam prona. Adeoque 4.) ineptum esse, in omnibus morbis Chronicis Scorbutum latentem accusare, & promiscue omnia alimenta acido aut falso condita, ægrotis interdiceret, cum per experientiam constet, istos morbos, in quibus viscidum crassum peccat, & actus vitales ac depuratorii lente & impeditè procedunt, sine eiusmodi acribus commode expugnari non posse. (f) Itaque diætetica morborum præsidia non ex vana opinione, per traditionem ad nos propagata, præscribenda sunt, sed sedulo observandum, quid commodi aut damni exinde percipiant ægroti. Sed cum de prudenti Diætæ, in quibusdam morbis, regimine pluribus egerit Doctissimus Candidatus, sine ulteriori ambitu ad eius accedimus, Vitæ curriculum. Natus autem est Noster

### JACOBUS VALENTINUS MOELLERUS,

Sültæ in Ducatu Mecklenburgensi, Oppido quidem parvo, sed ob Sallinas

(e) Ne forte quis in crimen nobis vertat, quod plurimos Eruditissimos Medicos, qui hanc sentiam fovent, ignorantia accusamus, sciendum: Sæpe Medicos querere Eruditionem vagam, ab Artis Exercitio remotam; ea vero, quæ ad Artem proprie spectant, & ex observandi studio fluunt, negligere, & tanquam totidem impedimenta respicere, quæ animum, doctrinæ avidum, in nobili impetu, quo per totum Scientiarum orbem fertur, remorentur. Vid. de hac re pluribus agentem, Cel. Baglivum Lib. I. Cap. VIII. §. 9. & 10.

(f) Illustr. Amstelodamensum quondam Consul, & Medicus, Tulpinus, de Halecibus Salitis proficitur: Ut à sole nebulas, sic ab Halecibus dispari morbos. Imo nunquam magis sterilem esse Medicorum messem, quam sub horum adventum. Observ. Med. Lib. II. 24.



linas, quibus gaudet, satis nobili, Anno MDCCXVIII. Patrem is veneratur, Virum Prænobilissimum Gravissimumque, Dn. *Valentinum Möllerum*, per quadraginta fere annos continua Diverforum Principum, Augustissimæ Domus Mecklenburgicæ, Gratia florentem, & Salinarum Directorem Dexterrimum, Fidissimumque; cui filiali pietate faustam & seram apprecatur Senectutem. Matrem habuit Matronam, Sexus sui Ornamentum, *Agneta Schertlingiam*, *Jacobi Schertlingii*, Consiliarii quondam Aulici Gustroviensis, Gravissimi, filiam, dudum coelitis redditam. Nil omifere optimi parentes quod ad formandum à teneris animum perrinebat, in eumque finem filium manuuctioni tradidere *Wentbenii*, *Rudovii*, *Engelkenii*, *Bartholdi*, & *Massii*, Virorum hodie, partim ob Ecclesiastica, partim Scholastica Officia, quibus defunguntur, Præclarissimorum, quorum fidem grata mente recolit semper. Ao. MDCCXVI. Gymnasio, quod Hamburgi floret, adscriptus, hospicio & privata informatione usus est Viri, per Orbem Celebratissimi, & nostra laude Superioris, JOH. ALBERTI FABRICII, cujus operam, quam in humanioribus, & elegantioribus literis experrus est, & summam pariter humanitatem, qua aditum sibi ad instructissimam suam Bibliothecam concessit, nulla ætas unquam oblivione oblitterabit. Audivit quoque in Philosophia Naturali docentem Cel. MÜLLERUM, in Historicis vero Prænobiliss. DN. RICHEY, Poetarum in Germania facile Principem. Biennio sic exacto, Ao. MDCCXVIII. Rostochium adit, & Rector Magnifico, Viro Generoso, ac Summe Venerando, KRAKEWITZIO, Nomen dedit Civitati Academica; sed mox, jubente Patre, Salanam, sive Jenensem Academiam adit, & Celeb. DANTZIO t. t. Pro-Rectore Magnifico, in numerum Civium receptus est. Frequentavit ibidem Collegia Institutionalia, De Materia Medica, & denique Practica, Viri Summi, & obmerita in Rem Medicam longe Celeberrimi, GEORGII WOLFFGANGI WEDELII, tum temporis vegeta adhuc senectute florentis. Nec minorem fructum haurit ex Collegiis Physiologicis, Semiotico-Pathologicis, Chemicis, & de Methodo Medendi, JOH. ADOLPHI WEDELII, Filii, qui Illustris Parentis vestigia imprigre premit. Audivit quoque Excell. HILSCHERUM, Chirurgiam, Diæticam, Botanicam, & Materiam Medicam prælegentem. Nec defuit Sectionibus Anatomicis Dexterrimi FICKII, Anatom. Professoris Celeb. Imprimis autem gratisfimo affectu agnoscit singularem Humanitatem & Candorem Celeb. TEICHMEYERI, Hospitis sui Colendissimi, qui in Anatomia, Chymia, Physica Experimentalis, & Praxi Medica, fidissimum se præbuit Ducem. Commoratus etiam, antequam in Patriam rediret, aliquantisper est in Academia Halensi, & publicis demonstrationibus Anatomicis Illustris Medici, FRIDERICI

FRIDERICI HOFFMANNI interfuit. Aditum quoque sibi paravit ad Illustr. THOMASII, WOLFFII, & reliquos Medicinæ Professores, Celeberrimos, ALBERTUM, & COSCHWITZIUM. Ao. MDCCXXII. Rostochium reversus, potissimum in eo fuit, ut animum ad ipsum Artis exercitium sive sic dictam Praxin Clinicam applicaret, in quem finem Informatione usus est Viri Prænobilissimi & Experientissimi, DN. JOH. LUDOVICI SCHAPERI, Med. Doct. & Practici felicissimi, cui eo magis se debere profiteatur, quod eum secum ad agrorum lætulos ducere, sic que occasionem suppeditare voluerit, ut iudicium practicum propria firmaret experientia. Gratulatur quoque sibi, quod interesse administrationi Anatomicæ potuerit, quam Excell. noster DETHARDINGIUS, Anatomicus Dexterimus, publice hic instituit, & ex commercio, quod cum ipso, ac filio, *Georgio Christophoro* DETHARDINGIO, Med. Doctore Celeberrimo, habuit, multum se profecisse, gratus testatur. Post tot ergo annorum labores Nomen dedit Facultati Medicæ, ut ad Examina consueta admitteretur, in quibus cum talem se præstiterit, ut Facultas dignum eum iudicaret, qui ad Examen publicum prodiret, & huic Actui Dies III. Septemb. destinatus sit, Hinc *Magnif. Dn. RECTOREM, Illustris Regiminis Consiliarios, Patres conscriptos utriusque Senatibus, Dominos Doctores, Licentiatos, verbi Divini Ministros, Philosophiæ Magistros, Generosam item ac Nobilissimam Civium Academicorum juventutem*, ea qua decet observantia invito,

P. P. sub Sigillo Facultatis  
Medicæ,

Die I. Septemb. An. MDCCXXVI.



Rostock, Diss., 1724 / 27



*St.*





Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

PROGRAMMA,  
DE

**SCORBUTO  
SEPTENTRIO-  
NALIUM.**

15

1726, 3.

QVO  
AD DISPUTATIONEM INAUGURALEM  
PRÆNOBILISSIMI & CLARISSIMI MEDICINÆ  
CANDIDATI

**JACOBI VALENTINI  
MOELLERI,**

DE

**MEDENDI RATIONE,**

PER

**PRÆSIDIA DIÆTETICA,**

IN AUDITORIO MAJORI,

Die III. Septembr. An. MDCCXXVI. habendam,  
SUO ET FACULTATIS MEDICÆ NOMINE

**MAGNIFICUM DN. RECTOREM,**  
ILLUSTRIS REGIMINIS DNOS. CONSILIARIOS, U-  
TRUMQUE SENATUM, UNIVERSOS & SINGULOS ACA-  
DEMIE CIVES, AC LITERARUM FAUTORES,

officiose & perhumaniter invitat

**CHRISTOPHORUS MARTINUS  
BURCHARDUS,**

Medic. Doct. & P. P. O. & ad hunc Actum Decanus.

ROSTOCHII, typis Io. Jac. ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD. Typogr.